



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.36. Ecclesia Hispanica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

judicabat urgentius. Guido Mellotius Sæcul. XIII.
A C. 1265.
Episcopus Antifiodorensis inter hujus ex- Duchesne
p. 834.
peditionis principes viros primus nume-
ratur: sed & disertum consilii authorem
in Papa habuerat.

§. XXXVI.

Ecclesia Hispanica.

Sacræ ubivis terrarum expeditiones e- Mariana l.
13. c. 25.
rant, in Hispania, in Gallia, in Hun-
garia, in Anglia. Maurorum Reguli
Granatensis & Murcianus, ut se ditioni
Castellæ Regis, cui tributa pendebant,
subducerent, Mauros ex Africa vocave-
rant, qui magna classe suppetias profecti
magnas fecere vastationes. Jacobus Ar-
ragonix Rex obsistere illis statuit tam re-
gnum, quam generum suum Alphonsum
Castellæ Regem defensurus. Idcirco
suum tesserariæ crucis induendi proposi-
tum Papæ Clementi significavit, qui hac
super re Archiepiscopo Tarraconensi ac Rayn. n. 32.
Episcopo Valentino scripsit, mandans, ut
in regno Arragonico, Valentinoque, in
Balearium Majore insula, in provincia
Tarraconensi atque in omnibus terris Ar-
ragonix Regi obnoxiiis sacram commen-
darent militiam cum indulgentiis privile-
giisque Cruce signatorum ordinariis. Da-
bat 23 Maji an. 1265.

Sæcul XIII.
A.C. 1265.

n. 31.

Ad sustinendos hujus belli sumptus Rex Arragoniæ a Papa petebat copiam colligendi pecunias ex Ecclesiis, quæ de vexationibus illius eodem tempore conquerebantur. Papa respondit hunc in modum. Si vellemus ordinem jurisobservare, Ecclesiæ in terris tuis nullum tibi ferre subsidium deberent, donec ipsis sua tribuisses. Sed generosum animum indulgentia capi considerantes, te ad has Ecclesias amandas arctius adstringi credimus, si tibi auxilio sint eo tempore, quo detractionem per causam tam honestam excusare possent. Igitur eas libertate frui patere, quam eis jus dedit, & antecessorum exemplo prius ipse conservasti: alioqui magis spectaremus, quid expediret ad salutem tuam, quam quid genio tuo arrideret. Nam quocumque in statu fuimus, nobis charos semper ita tractavimus, ut eis utilia, quam suavia, & molesta, quam noxia dicere mallems. Dabat Perusiæ 13 Augusti.

n. 36.

Etiam Castellæ Clerus de Rege Alphonso querebatur, quod centesima proventuum sacrorum parte sibi a Pontifice Maximo propter hoc bellum concessa haud contentus, insuper tertiam reparandis templis destinatam caperet. Papa Hispalensi Archiepiscopo injunxit, ut hoc illi exprobrans memoraret, non esse sapientis exponere se belli periculis, & sua cum

cum conscientia bellum gerere. Idem Sæcul. XIII. A.C. 1265.
 iussus erat Castellæ populos ad arma sa-
 cra fumenda cohortari.

§. XXXVII.

*Sacræ Crucis exercitus in Gallia,
 Hungaria & Anglia.*

In Francia præter expeditionem Apulia-
 nam contra Manfredum, etiam pro ter-
 ra sacra bellum identidem suadebatur, ad
 quod Papa eo vehementius stimulabat,
 quia tristes nuncios de Bondocdari Ægy-
 ptii Sultani progressibus acceperat. Is Sanut. p. 222
 anno priore Cæsaream Palæstinæ suba-
 ctam everterat: & hoc anno ultima Apri-
 lis castrum Arsuvium expugnavit; nona-
 ginta Hospitalarii capti, cæsive, & qui in
 arce fuerant numero mille circiter in vin-
 culis Babylonem, sive Cairum ducti. Tum
 Bondocdar ad obsidendam Ptolemaidem
 se præparabat solum locum munitum, qui
 restaret Christianis, & hoc sine classem
 armaverat. Papa hæc damna per epi-
 stolas Patriarchæ Hierosolymitani & pri-
 morum ejus regionis Christianorum com-
 perit: quibus 25 Augusti respondens so-
 latia & animos addebat per promissum
 subsidii præsertim e Gallia. Id accelera-
 turus urgentes scripsit epistolas S. Ludo-
 vico, fratri ejus Alphonso Pictavii Comi-
 ti,

Rayn. n. 37.n. 41. 42.n. 43.Id. 1266. 73.